

quunt gradus 19. min. 58. sec. 9. declinationem nimirum primi gradus & 27. min. Aquar.

Nota quod ab æquinoctijs hoc est à principio ♈ & ♎, ad solstitia, hoc est, ad principia ♄ & ♀, minuta in quotiente producta semper sunt addenda: à solstitijs verò ad æquinoctia semper subtrahenda, uti ratio suadet, quò magis enim punctus aliquod Ecclipticæ remouetur ab æquinoctio, eo maiorem habet declinationem; quò magis accedit, eò minorem.

EX DECLINATIONE SOLIS A V T

stellæ alicuius cognita, altitudinem eius meridiana-
nam inuestigare. Propos. IX.

Cognita declinatio, si borealis sit, adiiciatur complemento altitudinis poli (est autem complementum altitudinis poli, quod subtracta elevatione poli à 90. gradibus, residuum est) aggregatum erit altitudo meridiana solis aut stellæ propositæ. Quod si declinatio sit Australis, auferatur ea ex complemento dicto, & residuum erit altitudo meridiana. Vt Exempli gratia, superius inuenimus declinationem primi gradus Aquarii & 27. min. esse 19. grad. 58. min. quæ cum Australis sit, ablata ex complemento Elevationis poli Viennensis nempe ex 42. gradibus, relinquit 22. grad. 2. min. pro altitudine sua meridiana. Eandem declinationem habebit punctum oppositum leonis: addita ergo, cum borealis sit complemento Elevationis poli dicto dabit 61. grad. 58. min. pro elevatione eius meridiana. Sic addita declinatione maxima solis boreali quam superius habuimus 23 grad. 30. min. pro altitudine meridiana maxima solis, quam potest habere hic Viennæ. Rursum eadem declinatio Australis ablata ex complemento dicto relinquit gradus 18. min. 30. pro altitudine solis meridiana, minima, quam habet sol hic Viennæ. Quando verò
sol